

1598

ditatu, Uscochis licet acriter se tuentibus, non sine ingenti eorum cæde, finitimorumque terrore expugnat. Ac licet eo successu vehementer Cæfareani conquerentur, attamen invitum, necessitateque compulsum ad ea descendere Senatum cognoscentes, cur tot incommodis obviam non irent, Pannonico bello tribuebant.

*Jaurinum  
a Cæsarea-  
nis rece-  
ptum.*

Atque eodem tempore lætum Jaurini, Adolphi comitis Suarcemburgensis, Comari præfecti, pernibili ac felici astu recuperati, nuntium Patribus afferebant. Is sane una cum Palfio, sex mille circiter partim peditibus, partim equitibus coactis, noctu Jaurinum propius intulere, sub auroram machina ( quam *petardum* vocant ) portam prostrernere, inde ingredi urbem posse rati. Sed cum portæ, arcis ponti, quo in urbem itur, propinquæ, frustra applicuissent, denuo a Gallo quodam urbis portæ fuit admota; qua ingenti fratre, tonitru iinstar, dejecta ac prostrata, aditus Cæfareanis est factus. Novitate rei, tenebris, armorum ac scloppettorum strepitu ex composito diversis in locis circa urbis moenia excitato, perculti & perterriti Turcæ, pars ad muros, pars ad portas accurrint. Cæfareani urbem ingressi, mille ac trecentis una cum Bassa aliisque insignibus præfectis cæsis, ducentis tantum Christianis desideratis, Jaurino potiuntur. Felicem rei exitum Cæsari Senatus gratulatur. At Hibraimò in Pannonia exercitus imperatore a Mehemet declarato, cum, inter Janizzeros ac Spachos exortis dissensionibus, tempus extraheretur, in superiori Pannonia Georgius Basta, Epirotico genere Neapoli ortus; in inferiori Suarcemburgius duces creatur. Buda a Suarcemburgio tentata, urbs ipsa occupata, arx frustra oppugnata. Ab Sardare Bassa eodem tempore Varadinum, superioris Pannoniæ oppidum, immanni conatu obsessum. Interea Michael Vaivoda cum suis copiis in turcicos fines irrumpens, centum passuum millia cuncta depopulando emensus, Coronam usque progreditur; qua ex re Mehemetes permotus, Dautem Basfam magno militum numero Hadrianopolim mittit, qui ibi hymare statuit, ut in sequentis anni initio Satergio Bassæ juncetus, quem Michael insequutus Belgradum usque propulerat, eas regiones propugnaret. Ita eo anno in Pannonia dimicatum, Cæsareorum, ob Jaurinum recuperatum, superiore fortuna,

nec

*Hibraimus  
Turcarum  
exercitus in  
Pannonia  
imperator.*

*Buda a Cæ-  
sareanis ca-  
pta.*